

IOANNES PAVLVS PP-II

*Servus Servorum Dei
ad perpetuam rei memoriam.*

*~ Qui habet mandata mea
et servat ea, ille est qui diligit
me; qui autem diligit me, dili-
getur a Patre meo, et ego dili-
gam eum et manifestabo ei meip-
sum ~ Io 14, 21. Tota Christi a-
more capta, Beata Teresia a
Iesu ~ in saeculo Ioanna Fer-
nández Solar. Evangelii prae-*

cepta perfecte ac laetanter servavit et, corde inanibus mundi rebus libero, vitam suam adorationi, laudi Deique servitio consecravit ac plenum invenit gaudium in divinorum mysteriorum contemplatione atque in coniunctione cum Salvatoris cruce, qui quidem illam dignam fecit, quae ad eius sederet mensam eiusque vultum videret. Juvenis haec Domini discipula, Carmeli Teresiani Americae Latinae sanctitatis primitiae, Sancti Jacobi in Chile nata est die XIII mensis Julii anno MCM locupletibus ac sincere christianis parentibus, qui eam Deum amare super omnia docuerunt. A pueritia in fidei lumine ambulavit et a Virgine Maria quasi manu ducta, quam filiae pietate et fiducia venerabatur, obviam Christo se dedit, quocum miram fecit amicitiam, quae aucta est ac

solidata post primam Communionem acceptam, quam ardentem exoptaverat. Eucharistico Pane confirmata, quem crebro sumebat, alacrius fervidiusque est in perfectionis christianae via progressa, familiaritatem cum Jesu colendo, cooperando redemptionis operi seseque castigando. Dum in studia incumbebat apud Sorores a Sacro Corde, statuit se Deo consecrare et privatum castitatis votum nuncupavit, ad quod postea votum addidit nullum voluntarium peccatum committendi. Dum expectabat quoad Carmelitarum Discalceatorum Ordinem ingrederetur, altius divini Sponsi cor penetravit, adeo ut cum eo crucifigere cuperet pro peccatorum conversione et sacerdotum sanctificatione. Caritatis ignis, qui in eius spiritu flagrabat, lucem circumfundebat et calorem, admirationem excitans familiarium, aequa-

lium ac pauperum, quibus libenter spirituale et materiale praebebat auxilium. Vere incrementi regni Dei studiosa, instrumentum fieri gratiae docilius in dies nitebatur, apostolatus operibus se dedebat bonumque Christi ubique effundebat odorem. Die VII mensis Maii anno MCMXIX, iam tum sanctitate dives, dilectam familiam in perpetuum reliquit et summa cum laetitia ingressa est inter Carmelitides Discalceatas pauperis monasterii Sancti Spiritus in urbe de Los Andes siti: ubi paulo post vestem religiosam induit et novitiatum iniit. Et in religione impositum fuerat hoc nomen: Teresia a Jesu. Fidelis voluntatis Dei exsecutio, diligens Regulae observantia, silentii, contemplationis atque sacrificii amor pretiosae fuerunt margaritae quae eius ornaverunt animam, caritatis sitientem et devotionis pro a-

nimarum salute eandemque spiritali studio flagrantem. Ante tabernaculum et ante crucem orabat, et sub inspiratione et ad exemplum legislatrix Matris Carmeli S. Teresiae a Jesu Abulensis, obsecrabat et expiabat pro mundi redemptione, deprecationis cruciatuumque vi apostolatum animans missionariorum atque sacerdotum, quorum se sororem habebat. Cum Jesu et sicut Jesus hostia voluit esse immaculata, in continuum sacrificium pro Dei gloria oblata, divinique Magistri exemplum imitans in sua religiosa Communitate in habitu esse voluit humilitatis atque servitii. Fius terrena ad caelestem civitatem peregrinatio celeriter metam attingit. Hebdomada sancta anni MCMXX typho aegrotavit. Acerbis vexata doloribus cum lucerna accensa vesteque nuptiali in aeternitatem intravit die XII

mensis Aprilis, facta professione religiosa ~ in articulo mortis ~. Sanctitatis fama, quam viva sibi comparaverat, multum vulgata est: quam ob rem Episcopus Sancti Philippi canonizationis Causam inchoavit. Rebus peractis iure statutis, die XXII mensis Martii anno MCMLXXXVI promulgatum est decretum super virtutibus heroicis ac die XVI mensis Martii subsequentis anni decretum super miro. Sollemnis beatificationis ritum ipsi celebravimus die III mensis Aprilis anno MCMLXXXVII Sancti Jacobi in Chile, per Nostram illius dilectae nationis pastorem visitationem. Haud multo post aliud feliciter sane Providentia sanctitatis Sororis Teresiae a Jesu dedit signum. Namque die VII mensis Decembris anno MCMLXXXVIII Sancti Jacobi in Chile miraculum est factum novae Bea-

tae ascriptum. De eo processus canonici-
cus est actus; deinde prospero exitu a-
pud Congregationem de Causis Sanc-
torum consuetae factae sunt indaga-
tiones ac die XI mensis Iulii anno M-
CMXCII coram Nobis decretum su-
per miro est promulgatum. Postea, au-
ditis sententiis affirmantibus Patrum
Cardinalium atque Episcoporum in
Consistorium congregatorum, die XI
mensis Decembris eodem anno statui-
mus ut canonizationis ritus Romae
celebraretur die XXI mensis Martii
anno MCMXCIII. Hodie igitur, in
Vaticana Basilica beato Petro Apo-
stolo dicata, inter Missae sollemnia
pronuntiavimus hanc formulam: ~
Ad honorem Sanctae et Indi-
viduae Trinitatis, ad exaltatio-
nem fidei catholicae et vitae chri-
stianae incrementum, auctorita-

te Domini nostri Jesu Christi, beatorum & Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum & Nostrorum consilio, Beatas Claudinam Thévenet et Tere-
siam a Jesu ~ de Los Andes ~ Sanctas esse decernimus et defini-
mus, ac Sanctorum Catalogo ad-
scribimus, statuantes eas in univer-
sa Ecclesia inter Sanctos pia de-
votione recolere debere. In nomine
Patris et Filii et Spiritus Sanc-
ti ~. Quibus inter plausus studiosos pro-
latis vocibus alacriter sumus ipsi adgres-
si novensis huius caelitis Beatae col-
lustrare singillatim virtutes vitaeque
praedicare laudes, unde universus Ec-
clesiae populus nova perciperet morum
christianorum exempla validaque eam

ad imitandam incitamenta ut Teresia-
 na ipsa vivendi precandique consuetu-
 do suos ista etiam aetate parere posset sa-
 lutares passim effectus. Quae vero per has
 Litteras decrevimus nunc et in posterum
 firma rataque esse volumus, rebus contra-
 riis quibuslibet minime obstantibus. Da-
 tum Romae, apud Sanctum Petrum,
 die XXI mensis Martii, anno Domini
 millesimo noncentesimo nonagesimo ter-
 tio, Pontificatus Nostri quinto decimo.



Ego Ioannes Paulus
 Catholicae Ecclesiae Episcopus

Eugenius Seri, Protom. Apost.